

R. 2º. Nego min. Non dicitur enim prodigum nullum habuisse amorem erga patrem suum; legitur quidem illum fame et miseria motum fuisse ut ad eum recurreret: at simul eum diligere potuit, et verisimiliter eum saltem aliquo modo diligebat, quando dixit ꝑ. 21: *Pater, peccavi in cœlum et coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus.*

Aliunde negari posset consequentia, quia parabolæ ultra punctum comparationis urgeri non debent: exemplum autem prodigi affertur ut ostendatur exultandum esse quando peccatores ad Deum revertuntur, ipsosque a Deo bene suscipiendos fore. Ergo.

Obj. 2º. B. Paulus, Rom. III, 20 et 22, ait hominem justificari sine operibus Legis, gratis per gratiam: atqui dilectio est opus Legis: ergo.

R. 1º. Iterum sequeretur dilectionem etiam extra sacramentum non requiri.

R. 2º. Dist. ant. B. Apostolus dicit hominem justificari sine operibus Legis, id est, sine circumcitione aliquis cærenoniis antiquæ Legis, conc.; sine ulla dilectione, nego. Etenim ibi Apostolus, tractans de excellentia legis Evangelicæ præ lege Mosaica, docet nunc hominem gratis justificari per gratiam Dei, sine operibus in antiqua Lege impositis: non dicit autem nullum amorem esse necessarium. Ergo.

Obj. 3º. Amor spei seu concupiscentiæ est vitiosus: ergo non sufficit.

R. 1º. Cum definire noluerimus an ille amor sit sufficiens, necne, objectio ista aliæque similes frustra nobis proponuntur; eas solvere non tenemur.

R. 2º. Nego ant. Ratio enim dictat benefactores esse diligendos: Deus autem est summe beneficus erga nos: ergo.

Inst. 1º. Amore spei Deus ad nos refertur: atqui talis relatio est vitiosa: ergo.

R. Dist. maj. Amore spei Deus ad nos refertur tanquam ad subjectum quod sola possessione ejus beari potest, conc.; tanquam ad finem Dei ipsius ultimum, quasi illum

nobis postponeremus, nego maj. *Eodem sensu distincta minorè, nego conseq.* Nulla enim est inordinatio in eo quod Deus ad nos sic referatur, siquidem hoc ipsi gloriosum est. Ergo.

Inst. 2º. Amor spei seu concupiscentiæ est mercenarius: ergo est vitiosus.

R. Nego conseq. Quamvis enim aliquo sensu sit mercenarius, perfectiorem amorem non excludit: licet autem servire Deo propter retributionem, ut ait Psalmista, Ps. cxviii, 112. Cur ergo amor ille esset vitiosus?

Inst. 3º. Si amor spei ad justificationem sufficeret, inde sequeretur salvari posse hominem qui nec semel in vita magnum præceptum charitatis implevit: atqui hoc repugnat: ergo.

R. 1º. Retorqueo argumentum. Si amor perfectæ charitatis non requiratur ad obtainendam justificationem in sacramento Pœnitentiæ, sequitur hominem qui præceptum perfectæ charitatis nunquam implevit, nihilominus salvari posse, nempe si in articulo mortis sacramentum Pœnitentiæ cum attritione et amore initiali suscipiat: atqui tamen hoc adversarii non concedent: ergo.

R. 2º. Nego illationem. Nam 1º qui ope attritionis et sacramenti justificatur, gratiam sanctificantem obtinet, sieque ex attrito fit contritus, ut fuit axioma, id est, in charitate perfecta habituali constitutitur: dici autem non potest eum qui perfectam habet charitatem habitualem, magnum charitatis præceptum non implere. Charitas habitualis in adulto sensibus prædicto non est iners; ad eliciendum actum ex natura sua tendit: ipsa gratiæ sanctificantis per absolutionem recuperatæ acceptatio, est actus charitatis. Ergo, etc.

## CAPUT QUARTUM.

### DE CONFESSIONE.

Confessio sacramentalis, de qua sola hic agitur, definiri potest: *Accusatio legitima proprietum peccatorum post*

*Baptisma commissorum, facta sacerdoti competenti, in ordine ad veniam virtute clavium obtinendam. Nobis dicendum est 1º de ejus necessitate, et 2º de ejusdem conditionibus.*

## ARTICULUS PRIMUS.

## DE NECESSITATE CONFESSIONIS.

Qui sacramentum Pœnitentia negant, eo ipso confessionem sacramentalem tollunt. Plures autem sacramentum Pœnitentia retinentes, circa confessionem errarunt, vide-licet :

1º *Ioannes Wiclefus* necessitatem ejus negavit, his verbis : « Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis : » septimus est articulus ejus in conc. Const. damnatus.

2º *Petrus Osmensis*, doctor Salmanticensis, contendebat non dari præceptum confitendi peccata occulta ; a Sixto IV damnatus fuit, anno 1478.

3º *Lutherus* prius agnoverat, lib. de Captivitate Babylo-nica, cap. de Pœnitentia, confessionem occultam esse utillem, imo et necessariam, deinde eam, prout est in usu apud catholicos, vocat *cruentissimam carnificinam*.

4º *Calvinus*, l. 2 Inst., cap. 4, sect. 7 et 8, fatetur quidem usum confessionis antiquissimum esse et abundantem fructum ex ea percipi; sed contendit eam esse liberam, arbitrio uniuscujusque permissam, et ante concil. Lateran. IV. anno 1215 celebratum, nulla lege fuisse præscriptam ; eam postea vocat *tyrannidem, rem pestilentem, multisque nominibus Ecclesie noxiām*. Calvinistæ illam tormentum *Innocentianum* appellare consueverunt.

*His prænotatis*, ostendens in dupli propositione confessionem esse necessariam iis qui post Baptisma mortaliter peccaverunt, 1º jure divino, et 2º jure ecclesiastico.

## PROPOSITIO PRIMA.

*Confessio sacramentalis necessaria est jure divino iis qui post Baptisma mortaliter peccaverunt.*

*Prob.* Illa propositio ut certissima tenenda est quæ est de fide, probatur Scriptura sacra, SS. Patribus, argumen-to præscriptionis et ratione : atqui talis est propositio nostra.

1º *Est de fide*. His quippe verbis fuit definita in Concil. Trid., sess. 14, can. 6 : « Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessaria-riam esse jure divino; aut dixerit modum secrete confi-tendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institu-tione et mandato Christi, et inventum esse humanum ; anathema sit. » Eadem veritas definita est aliis verbis, canonibus 7 et 8. Ergo 1º.

2º *Prob. Scriptura*. S. Math. xvii, 18 : *Tu es Petrus, etc. Tibi dabo claves regni cœlorum, etc.; et xviii, 18 : Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis, etc.*; apud Joan. xx, 22 : *Quorū remiseritis peccata, etc.* Unde sic argumentari licet : Confessio sacramentalis necessaria est jure divino iis qui post Baptismum mortaliter pecca-verunt, si Christus instituerit suos Apostolos eorumque successores judices, sine quorum sententia peccata mortalia non remittuntur, et si hæc sententia sine confessione obtineri nequeat : atqui hæc duo certa sunt.

1º *Christus, prædictis verbis apud S. Joannem relatis, promissionem suam implens, instituit suos Apostolos proindeque eorum successores judices, sine quorum, etc.* 1º *Sunt judices, cum alia peccata dimittere, alia retinere debeant.* 2º *Peccata mortalia sine eorum sententia remitti non possunt, nam Christus dedit eis claves regni cœlo-rum ; frustra autem claves ipsis dedisset si alias pateret aditus : potestatem retinendi peccata habent, sed vana ac illusoria foret hæc potestas si alia via peccatores justificari*

possent; vel enim nullus tribunal Pœnitentiæ adiret, vel unusquisque, absolutione sibi denegata, alio medio veniam obtainendi uteretur, sive confessarios impune suggestaret. Porro hæc admitti nequeunt. Ergo 1<sup>o</sup>.

2<sup>o</sup> Sententia Apostolorum eorumque successorum sine confessione obtineri non potest. Necesse est enim ut peccata a peccatis secernantur, siquidem, ex verbis Christi, non debent promiscue remitti, nec promiscue retineri; necesse est igitur ut cognoscantur: cognosci autem non possunt, nisi aperiantur: porro ea aperire, est ea confiteri secundum morem in Ecclesia consuetum: ergo, etc. Aliunde, etc. Ergo 2<sup>o</sup>.

3<sup>o</sup> *Prob. ex SS. Patribus. Tertul.*, de Pœnitent. cap. 10: « Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur; videlicet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde Deum celabimus. An melius est damnatum latere quam palam absolvit? » Vel hæc verba intelligenda sunt de confessione auriculari, et evidenter pro uobis militant; vel de confessione publica, ut quidam volunt, et nihilominus thesim nostram probant; nam, *ut infra ostendamus*, confessio publica supponit præceptum divinum confessionis.

*Origenes*, Homilia 2 in Ps. xxxvii: « Sicut ii qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste immanantis abundantiam, si vomuerint, relevantur: ita etiam hi qui peccaverunt, siquidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urguntur et propemodum suffocantur phlegmate vel humore peccati: si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum; proba prius medicum cui debeas causam languoris exponere ut ita demum, si quid ille dixerit....., si quid consilii dederit, facias..... si providerit talem esse languorem tuum qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, sed curari, ex quo fortassis et cæteri ædificari poterunt, et tu ipse

» facile sanari; multa hoc deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum est. » In eo textu fit quidem mentio confessionis publicæ quæ sine periti medici consilio et magna deliberatione fieri non debebat; sed confessio secreta prius facienda erat prudenti confessario qui judicabat an utile foret delicta in conventu ecclesiæ publicare. Ergo, etc.

*S. Basilius*, in regulis brevioribus: « Peccata iis confiteri necesse est quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est. »

*S. Chrysost.*, Homil. de muliere Samaritana, postquam demonstravit occultum fuisse peccatum quod confessa est, addit: « Imitemur et nos mulierem Samaritanam, et ob propria peccata non erubescantus..... Qui enim homini detegere peccata erubescit.... neque confiteri vult et pœnitentiam agere, in die illa non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur. »

*S. Ambros.*, l. 2, de Penit., cap. 6: « Si vis justificari, fatere delictum tuum; solvit enim criminum nexus veracula confessio peccatorum. » Ipse sanctus Doctor confessiones secretas audiebat, narrante in Vita ejus Paulino. Quotiescumque aliquis, ad percipiendam penitentiam, lapsus suos apud illum confitebatur, ita flebat, « ut illum flere compelleret... Causas autem criminum quas illi confitebantur, nulli, nisi Domino soli apud quem intercedebat, loquebatur. » Patet ex illo facto confessionem secretam fuisse in usu et necessariam ad percipiendam penitentiam.

*S. Leo*, Epist. 136: « Sufficit reatus conscientiarum sacerdotibus indicari confessione secreta. » Damnat abusum peccata publice recitandi, quod nonnulli arbitrabantur necessarium.

Innumera alia afferri possent testimonia: in his autem quæ retulimus agitur evidenter de confessione exteriori, explicita et jure divino necessaria, non vero de interna soli Deo facta, de generali et vaga, aut de confessione auctoritate humana prescripta, ut volunt hæretici.

1<sup>o</sup> De exteriori; siquidem facienda est sacerdoti, pecca-

tum ex anima evomitur, secreta aperienda sunt, etc.  
 2º De explicita; alioquin non daretur erubescendi locus, nec diceretur peccata sola cogitatione admissa esse declaranda; homines decipi posse, non Denuo qui intuetur eorū.  
 3º De confessione jure divino necessaria; etenim SS. Patres, non decreto Ecclesiae aut alio instituto humano, sed verbis Evangelii hanc obligationem fundatam esse dicunt vel supponunt: ergo, etc. Ergo 3º.

4º Probatur argumento præscriptionis. Usus et præceptum confessionis existit tum apud Latinos, tum apud Græcos, tum apud alios Orientales. Quoad Latinos, nulla est difficultas; factum patet. Quoad Græcos, idem constat  
 1º ex eorum euchologiis; 2º ex censura qua Jeremias, patriarcha Constantinopolitanus, doctrinam Lutheranorum perstrinxit, et ex Synodo Bethleem, habita anno 1672, in qua error iste proscriptus est; 3º ex concil. Florent., anno 1438 celebrato, in quo, post maturum examen pronuntiata est unio utriusque Ecclesiae. Quoad alios Orientales, videlicet Armenios, Nestorianos, Eutychianos, Melchitas, Jacobitas, Coptas, Maronitas, quorum alii sunt catholici, alii heretici, eadem veritas ex liturgiis eorum constat, ut videre est in opere dicto *Perpétuité de la foi*, etc. Porro talis consensio omnium ecclesiarum Orientalium catholicarum, schismaticarum et hereticarum cum Ecclesia Latina, demonstrat confessionem semper fuisse in usu et ab ipsis Apostolis transmissam; vel enim ab Apostolis fuit transmissa, vel decursu temporis instituta: at posterius dici non potest; si enim decursu temporis fuisset instituta, aliquod vestigium hujus institutionis inveniretur, præsertim cum talis innovatio facile admitti non debuisset: atqui tamen nullum hujusmodi vestigium inveniri potuit. Praeterea, si institutio ista commenta fuisse in Ecclesia Romana, ut affirmare non erubescunt Protestantes, quomodo Græci et tot ecclesiae Orientales, a seipsis divisæ, eam simul ita adoptassent ut sibi persuaderent institutam esse a Christo et necessariam jure divino? Id manifeste repugnat. Ergo.

P. Morin (p. 140 et seq.) ex multis Rabbinorum texti-

bus, probat eam apud Judeos fuisse usitatam, quandoque generalem et quandoque particularem; testimonia quæ affert digna sunt ut videantur.

5º *Prob. ratione.* 1º Fatentur adversarii confessionem publicam saltem peccatorum publice commissorum, olim fuisse præscriptam: atqui talis praxis supponit omnes persuasum hahuisse confessionem sacramentalem a Christo institutam fuisse; supposita quippe institutione divina, facile concipitur fideles jugo tam gravi se subjecisse: at si credidissent præceptum istud in jure divino nullum habere fundamentum, numquid omnes ita paruisserent? Hoc iucundibile est, attenta humanæ naturæ repugnantia ad confessionem probrosam.

2º Certum est dari medium obtainendi remissionem peccatorum post Baptismum commissorum: at confessio ipsissimet Protestantibus videri debet via tutior hanc remissionem obtainendi, et sedandis anxietatibus conscientiarum multo expeditior. Protestans enim, principiis suis stando, quomodo sciet se sufficienter esse dispositum, se esse justificatum? Quam inveniet consolationem in tribulationibus cordis? Catholicus, e contra, cor suum pandens confessario, illum habebit amicum, patrem, consolatorem, ducem et adjutorem; consilia ejus sequendo, securus manebit.

3º Quidam peccata confitendi usus, ad eorum condonationem obtainendam, semper et ubique exstitit.

« Que deux ennemis désirent sincèrement se réconcilier, » ait Moët (Symbolique, liv. 1, § 33), ils se sentent « entraînés à confesser leurs torts, et ce n'est non plus que « par cet aveu que leur réconciliation devient véritable, « que la paix rentre dans le cœur..... Celui qui déteste, « abhorre le péché, le confesse avec douleur et tout ensemble avec joie: avec douleur, parce que le péché est le mal propre du pécheur; avec joie, parce qu'en le confessant le pécheur s'en sépare et s'en éloigne. » Ergo saltem conveniens et rationabilis est confessio, etc. Aliunde, etc. Ergo.

*Solvuntur objections.*

*Obj. 1º.* Confessio non præcipitur in Scriptura : ergo non necessaria est jure divino.

*R. 1º. Dist. ant.* Non præcipitur expresse, *conc.*; implicite et æquivalenter, *nego ant.* Probavimus enim obligationem confessionis optime deduci ex verbis Christi : *Quorum remiseritis*, etc. Ergo.

*R. 2º. Nego conseq.* Nam præter Scripturam, traditio altera est regula fidei, et multa sunt revelata a Christo instituta quæ in Scripturis non leguntur. Ergo.

*Obj. 2º.* Nullibi legitur Apostolos confessiones excepsisse, vel ipsos ad confessionem recurrisse : ergo incredibile est præceptum confessionis tempore Apostolorum extitisse.

*R. 1º.* Multi theologi et D. *Fleury* probant usum confessionis tempore Apostolorum extitisse per hæc Actuum Apostolorum verba, xix, 18 : *Multi credentium veniebant, confitentes et annuntiantes actus suos.* Ibi agitur de peccatis credentium, ac proinde post Baptismum commissis. Alii tamen dicunt verbum *credentium* intelligi posse de nondum baptizatis qui peccata sua aliquo sensu confitebantur ut ad suscipiendum Baptismum se præpararent. *Hac igitur responsione prætermissa.*

*R. 2º. Nego conseq.* 1º quia in primis prædicare, docere, baptizare, manus imponere aliaque officia muneris apostolici implere debebant Apostoli, raro autem confessiones fidelium excipere, praesertim cum in his felicissimis temporibus fere nullus gratiam Baptismatis amitteret; 2º quia multa fecerunt Apostoli quæ non fuerunt scripta : præcepto Domini obtemperantes, *docebant servare quæcumque ipsis mandaverat*, et parum solliciti erant an actus sui scribebantur. Liber Actuum Apostolorum præcipua tantum gesta Petri et Pauli continet, et de aliis fere nihil refert; insulse ergo concluderetur ex silentio ejus Apostolos confessiones non excepsisse, vel ipsos confessione non usos esse, quamquam forte illa non indigerint; nam, juxta probabilem sententiam, erant confirmati in gratia. Ergo.

*Obj. 3º.* Christus dedit Apostolis eorumque successoribus potestatem remittendi peccata venialia : atqui tamen nulla est obligatio ea declarandi : ergo *a pari*, etc.

*R. Nego conseq. et paritatem.* Ratio disparitatis est, quod peccata venialia cœlum proprie non claudant : igitur, qui tantum venialia habent, ministerio clavium non indigent ut aliquando cœlum ingrediantur. Contra vero cœlum obseratur iis qui peccato mortali comimaculantur : ergo recurrere debent ad janitores, ut ipsis eis aperiatur.

*Inst.* Apostoli eorumque successores acceperunt a Christo potestatem remittendi vel retinendi peccata in Baptismo, sacramentum illud concedendo vel negando : attamen confessio non est necessaria ad Baptismum : ergo *a pari*, etc.

*R. Nego conseq. et paritatem.* Disparitas in eo sita est, quod sacramentum Pœnitentiæ, ex institutione sua, per modum judicii exerceri debeat; supponit ergo jurisdictionem in subditos judicandos : porro Ecclesia non habet jurisdictionem in eos qui non sunt baptizati : ergo Baptismus administrari non potest per modum judicii. Unde laici jurisdictionis ecclesiasticae incapaces ipsæque mulieres valide baptizant. Ergo, licet confessio ad Baptismum non requiratur, non sequitur illam, etc.

*Obj. 4º.* *Nectarius*, patriarcha Constantinopolit. versus finem quarti sæculi, abrogavit confessionem : ergo non arbitrabatur illam esse jure divino necessariam.

*R. Dist. ant.* Abrogavit confessionem publicam, *conc.*; secretam, *nego ant.* Ad intelligentiam istius facti quod Protestantes singulariter ventitant, sciendum est episcopos tempore Novatianorum sacerdotem pœnitentiarium præfecisse, ut qui lapsi essent, coram illo delicta confiterentur. Quædam mulier ad pœnitentiarium presbyterum accedens, delicta post Baptismum commissa a se perpetrata confessa est. « Presbyter vero præcepit illi ut jejuniis » et orationibus continuis vacaret, quo scilicet una cum « delictorum confessione opus etiam pœnitentiæ conveniens » ostenderet. Progressu temporis mulier aliud facinus confessa est, ecclesiæ videlicet diaconum cum ipsa stupri

» consuetudinem habuisse. » Sunt verba *Socratis*, Hist. lib. 5, cap. 19. Magnum inde exortum est scandalum in Ecclesia, et populus viros ecclesiasticos hanc ob causam dictieriis appetere cœpit. Tunc quidam presbyter nomine Eudemon suasit Nectario ut presbyterum penitentiarium expungeret, et unumquemque, pro arbitrio et animi sui conscientia, ad sacramentorum communionem sineret accedere. *Sozomenus* factum istud eodem modo refert, lib. 7, cap. 16. Illo igitur admisso ut vero, non sequitur *Nectarium* confessionem secretam abrogasse. Nam 1º abrogavit quod tempore Novatianorum institutum fuerat; at confessio secreta tempore Novatianorum non fuerat instituta, siquidem antea in usu erat, ut patet testimonio *Origenis* et *S. Cyp.* 2º Abrogavit quod fuerat occasio scandali: atqui sola confessio publica mulieris causa fuerat scandali. 3º Confessio secreta semper fuit in usu post *Nectarium*, ut constat testimonio *S. Chrysost.* ejus successoris, a nobis superioris allato, et constanti praxi Græcorum. Ergo.

Cæterum, ex ipsomet facto mulieris et penitentiarii, constat confessionem auricularem tunc in usu fuisse; si quidem dicta mulier prius secrete confessa est *delicta a se perpetrata*.

Dicitur autem *Nectarium* permisisse unumquemque, pro arbitrio et animi sui conscientia, ad sacramentorum communionem accedere; non quod aestimaret confessionem ad remissionem peccatorum necessariam non esse jure divino, sed quia licentiam unicuique dabat illa uti vel non uti, prout agnosceret se esse sotentem vel insontem.

*Inst. S. Chrysost.* pluribus in locis, et præsertim *Homilia 3 de Pœnit. n. 4*, ubi hoc habet; *Deo soli dic peccatum tuum*, et dimittitur tibi, a confessione retrahere videtur: ergo confessio etiam secreta a *Nectario* fuerat abrogata.

*R. Dist. ant.* A confessione publica retrahere videtur, *conce.*; a confessione secreta, *nego ant.* Etenim *S. Chrysost.* vestigiis antecessoris sui inhærendo, confessionem publicam reprobare debuit: atqui revera solam confessionem publicam reprobavit; ab illa enim sola in textu allato in aliisque similibus retrahebat, non vero a confessione se-

creta quæ semper in usu fuit Constantinopoli sicut alibi, et cuius necessitatem ipse agnoscit, v. g., in loco a nobis superiorius citato et in aliis quæ citari possent. Si ergo dicat soli Deo peccata esse declaranda, vel 1º ibi loquitur de virtute pœnitentiæ, ut quibusdam placet, et tunc confessionem sacramentalem non excludit; vel 2º quia sacerdos locum Dei tenet, et, ratione secreti, peccata ei dicere in confessione, perinde est ac si Deo soli dicerentur, præsertim cum in liturgia Græca, referente *P. Goar*, in suo Eu-chologio Græcorum, presbyter apud Græcos penitentem ad se accedentem sic alloquatur: « Frater, utquid ad Deum » et ad me accessisti? Ne verearis; non enim mili, sed Deo coram quo stas, peccata tua enuntias. »

Eodem sensu explicari debent alii textus SS. Patrum qui a Protestantibus nobis objiciuntur, id est, de confessione publica, non vero de secreta: sic: 1º *S. Greg. Nyssenus* dicit peccata avaritiae a Patribus fuisse prætermissa, quia in canonibus publicis pœnitentiariis non fuerant submissa. 2º Venerabilis *Beda* a jugo confessionis eximit eos qui a religione per idolatriam, heresim vel schisma non defecerant, id est, a jugo confessionis publicæ: nam ipse necessitatem confessionis secretæ in Commentario in cap. 5 Epist. *S. Jacobi* agnoscit, his verbis: *Neque enim sine confessione peccata queunt dimiti.*

*Obj. 5º. Gratianus, Decret. causa 33, quæst. 3, dist. 1, cap. 89,* expendit an sola contritione cordis et secreta satisfactione, absque oris confessione, qui quam possit Deo satisfacere. Postea duplum refert opinionem tunc existantem, unam affirmantem et alteram negantem: ergo tunc non credebatur confessionem esse necessariam.

*R. Nego vonseq.* Nam *Gratianus* non movet quæstionem de necessitate confessionis ex institutione Christi ad salutem, sed de efficacia contritionis: si contritio perfecta ad sacramentum semper prærequiratur, confessio oris non erit necessaria in re ad justificationem, sed tantum in voto; secus, necessaria esset in re. Porro nos ipsi diximus duplum esse theologorum sententiam circa hanc quæstionem. Quod talis sit *Gratiani* sensus, patet tum ex ti-

tulo ejus dist., tum ex ipsis verbis, cap. 37 : *Non ergo in confessione remittitur quod jam remissum esse probatur; tum ex eo quod utriusque partis defensores appellat sapientes et religiosos, dum qui necessitatem confessionis e tempore negarunt, ab aliis scriptoribus vocati sunt audaces, præsumptuosi, perversi, hæretici, sectarii.* Ergo.

*Objicitur Seneca* glossator *Gratiani*, qui dubitare videtur an confessio non fuerit instituta quadam universalis Ecclesie traditione; sed omnes fatentur illum nullam mereri fidem.

*S. Thomas, S. Bonaventura et S. Antoninus Gratianum* in loco citato de necessitate confessionis interpretantur, et illum excusant, quia nondum definitum erat confessionem esse necessariam jure divino. Verum inde sequeretur ad summum *Gratianum* clare non fuisse locutum, aut præfatos auctores illum attente non legisse. Quidquid sit, quamvis dogma confessionis hoc tempore nondum fuerit aliquo canone expresse definitum, certum est illud ubique fuisse receptum.

*Obj. 6º. Concilium Lateranense primo condidit præceptum de confessione facienda: ergo dogma confessionis non erat ubique receptum tanquam jure divino fundatum.*

*R. 1º. Nego ant.* Pluribus enim factis demonstratur confessionem sacramentalem non solum fuisse in usu, sed et præceptam longe ante concilium Lateranense. 1º Jam memoravimus exemplum *S. Amb.* confessiones secretas excipientis. 2º *S. Eligius*, in sexto saeculo, confessionem generalem omnium peccatorum vitae suæ fecit apud sacerdotem; *Fleury*, l. 37, n. 38. 3º *S. Fructuosus*, abbas Complutensis, anno 670 defunctus, in regula sua, confessionem generalem præscribit novitiis qui ante ingressum in monasterium gravia commiserant peccata; *ibid.*, l. 39, 23. 4º *S. Chrodegang*, episcopus Metensis, monasterium clericorum regularium instituit versus annum 763, et inter regulas quas eis præscripsit, jussit ut singuli bis in anno peccata sua confiterentur episcopo, initio Quadragesimæ, et a medio mensis augusti ad primam diem novemboris. In aliis temporibus, sive episcopo, sive sacer-

doti, pro utilitate sua, confessionem suam facere poterant: ipsis expresse et sub gravibus poenis vetatur ne aliquod taceant peccatum; *ibid.*, l. 43, n. 39. 5º *Theodulphus*, episcopus Aurelianensis, in suo Capitulario anni 785, dicit omnia peccata etiam cogitationum esse confitenda sacerdoti, et jubet sub pena excommunicationis ut qui perjurium, falsum testimonium, adulterium, fornicationem, homicidium aliaque gravia peccata admiserunt, ea confiteantur et canonicam expleant penitentiam; *ibid.*, l. 31, n. 23. 6º In Concilio Cabilonensi anni 813, redarguntur qui integre non confitentur, et declaratur eos monendos esse de obligatione confitendi peccata interna sicut et externa; *Labbe*, t. 7. Multa alia hujus generis facta reperiuntur, tum in Historia ecclesiastica, tum in auctoribus qui de necessitate confessionis fusius tractant, et præsertim apud *Scheffmacher*, *letter IV*.

*R. 2º. Nego conseq.* Ecclesia enim potest instituere leges ad urgandam præceptorum divinorum observationem, vel ad determinandum tempus quo impleri debeant; ea intentione tulit præceptum de communione Paschali, licet rata fuisse dari præceptum divinum ad sacram synaxim accedendi. Ergo similiter persuasum habens confessionem esse jure divino necessariam, potuit nihilominus eam præcipere, v. g., determinando tempus ultra quod obligatio illius non protraheretur. Porro talem fuisse mentem concilii Lateranensis confessionem annuam præcipientis asserit concil. Trid., sess. 14, cap. 5: « Neque per Lateranense concilium Ecclesia statuit ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat; sed ut præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. » Ergo.

*Sequitur ex dictis reum peccati mortalis, post Baptismum commissi, justificari non posse sine confessione in re saltem cum attritione, vel in voto cum contritione perfecta: qui autem necessitatem confessionis invincibiliter ignoraret et de peccatis suis propter amorem Dei conteneretur, nihilominus justificationem obtineret; Deum*